

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Ioachimvs Vadianvs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOACHIMVS VADIANVS MEDI.
cus, & Poëta.



*Phæbi cultor eram, medicæ studiosus & artis,
Ac melicæ: Galli Consul in vrbe bonus.*

M. D. LI.

IOACHIMVS VADIANVS SAN-
galli oppido Helueticorum natus:

Poëta excellens, Mathematicus, ac præsertim
Geographus exactissimus:

Quod ipsius in Pomponium Melam com-
mentarij, & trium orbis partium Epi-
tome demonstrant:

Medicinæ denique Doctor insignis, publicè
in eâ Viennæ Austriæ adeptus
laureolam:

Adde etiam eâ tum prudentiâ, tum integritate
vitæ præditus, ut ei patria summum
Magistratum ultrò detulerit:

Quin & Theologus sui seculi eximius,
Libris contra Enthusiastas sui temporis
editis compluribus:

Opere præterea de Sacramentis fidei Chris-
tiana scripto passim cognitus:

Lumen adeò disciplinarum omnium
clarissimum:

Suarum virtutum gloria fruens, iam senex,
placidissimâ felicissimâque morte, bea-
tam sui memoriam relinquens,

Euius excessit, anno Salutis M, D. LI.

K v

IN IOACHIMVM VADIANVM ME-
dicum & Geographum.

EPIGRAMMATA.

IOANNIS CHESSELLI.

Quò tendis, Peregrine? vel quid erras
Longâ ambage diu, morasq; perdis?
Quæ terra loca, fluminum meatus,
Quæ vrbes, qui maris accola potentis:
Quà dites Asia patent recessus,
Aut quâ Marmarici fremunt leones:
Aut cui vecta dedit puella nomen:
Terram frugiferam & viris potentem,
Quam passim memorant sacri & profani,
Si vidisse breui inuat libello:
Sta, pausa, requiesce lassus: ecce
Hic stant Mercurij duces columna
Infesso pede, nec labore multo,
Per terras, pelagusq; fluctuosum,
Te mirâ Vadianus arte ducet.

GEORG. FABRICII.

Tu ciues Vadiane tuos, vrbesq; gubernas
Non tales vates expulit urbe Plato.

GASP. BRVSCII.

Musarum Ioachime bonus, Phœbiqꝫ sacerdos,
Atqꝫ pœtarum rex Vadiane clues.

Vrbis honorata Consultu scepra, simulqꝫ
Totius Heluetiæ iura superba regis:

A Philyræ quæ sunt, ad Iura culmina montis,
Diuitis & Rheni flumen ad vsque, lacu.
Vix via Christus.

IOAN. LAVTERBACHII.

Errare nescit ambulans Christo duce.

Natus honorata Vadianus stirpe, priori
Tempore quam dignus nobilitat at honos:

Splendidior fieret Musis ut cultus & arte,
Adderet & magno maius honore decus:

Tractavit medicas celebris feliciter artes:
Ingenij varias doctæ reliquit opes:

Explicuitqꝫ Melam, terra descripsit & orbem:
Lux ut Apostolicis esset aperta libris.

Hinc satur annorum, senij pertasus & cui,
Ascendit Christo saluus in astra duce.

Credulus astra petes Christo duce & auspice Chri-
Haud errans rectis finibus, astra petit. (sto,